NONNULLA DE METRORRHAGIA GRAVIDARUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO - OBSTETRICIA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
GRYPHICA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA, CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA
HONORIBUS
RITE IMPETRANDIS
DIE XXI. MEMSIS NOVEMBRIS ANNI
MDCCCLIII. 1853
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

JOANNES ROHOWSKY,
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:
H. ZIEMSSEN, MED. ET CHIR. DR.
O. BEYERSDORFF, MED. CAND.
C. MOSLER, MED. STUD.

GRYPHIAE,
TYPIS FRIDERICI HACHE.

Vox metrorrhagia (μήτρα et ῥήγνυμι) quodvis uteri profluvium valetudini perniciosum significat. In femina quidem menstruationem, tum haemorrhagiam in quinto partus stadio, deinde lochia tamquam legitimos et a natura ipsa institutos sanguifluxus invenimus. Sed etiam hae regulares haemorrhagiae uteri exitum perniciosissimum habere possunt, si — quemadmodum in menstruatione observatur — aut nimis vehementer effluunt aut saepius revertuntur, aut diutius permanent. Nec aliter res se habere potest. Sanguis enim tamquam centrum est omnium organismi processuum; sano tantum sanguine homo sanitate frui potest; quodsi pars sanguinis perditur, semper mox fluido repletur seroso; liquores, qui corporis cavernis et telorum interstitiis insunt, brevi in vasa sanguifera intrant; praeterea sitis, quae est comes haemorrhagiarum continua, augetur, quo modo liquores etiam extrinsecus in corpus feruntur, quamobrem — ne multa faciam verba — sanguini semper nimis multum fluidi serosi, parum autem globulorum cruorisque inesse necesse est. Qui sanguis hoc modo permixtus, maximi momenti est in totum organismum et efficere debet, ut in hominibus haemorrhagiis laborantibus et in iis, qui hoc modo

debilitati sunt, pulsus parvus ac debilis tactu percipiatur qui minimo motu, adeoque si lecto evadere vel ire conatur aegrotus, acceleratus tibi apparet. Cutis quoque iners, pallida, lutea, oculi valde collapsi et languidi in orbita siti sunt. Calor corporis omnino deminutus, pulsus primum inaequalis et variabilis, paulo autem ante et inter effusionem sanguinis plenus, interdum etiam undosus et dicrotus videtur. Inquietudo animi, oris siccitas, nausea, vomiturationes, sitis maxima, vertigo, dolor capitis, tensio in membris, sudor tenax, labia et genae pallidae, secretiones tenues, fluidae observantur, prae ceteris autem urina pallida est, et elementis solidis caret-quam „urinam anaemicam“ Becquerelius dicit. Funct'ones animales turbatae, musculorum actiones debilitatae sunt, jamque minimi labores acerrimas palpitationes cordis provocant, neque minus thoracis motus et defatigationem universam efficiunt. Omnium animi functionum torpor exsistit, vis illa vitalis valde fracta, nec ullius incitationis capax videtur.

Haec fere sunt symptomata atque signa generalia in quocunque profluvio apparentia, quae proinde etiam in metrorrhagia gravidarum observantur, de qua scripturi sumus. Accedunt autem signa haecce: Feminae de gravitate et onere quodam in abdomine queruntur, de intumescentia genitalium externorum, de dolore in regione lumbali, de pruritu in labiis, in ano et in toto perinaeo, nec raro fit, ut antequam sanguifluxus exoritur, fluidum quoddam serosum, lymphaticum effundatur ex vagina. — Sanguifluxus ipse autem saepissime subito, sine ullo symptomate antecedente ex utero proruit, aut guttatim, quod stillicidium dicitur, et plerumque sponte sisti solet; aut vi quadam, sicuti in hae-

morrhagia praecipite observatur, in qua tempore brevi tam magna copia sanguinis amittitur, ut mors plerumque sequatur, aut certe symptomata anaemiae nascantur-quae jam supra exposui. Accedit quod quo copiosius profluvium, eo magis vigor delabitur, eo magis sensibilitas augetur, organon visus lucem, organon auditus sonum perpeti nequit; singultus spasticus, susurrus aurium adest, somnus fit turbulentus, spasmi et convulsiones exsistunt, respiratio manca redditur et tali modo sensim vires aegrotae exhauriuntur, et si non mors, tamen aliae molestiae consequuntur, veluti oedema pedum, anasarca ipsa sub finem exoritur, donec mors aut ex defatigatione aut ex hydrope ingreditur.

Metrorrhagiae acerrimae unius horae momento vitam exstinguere queunt. Omnino autem metrorrhagiae minus perniciosae unum diem permanent; alias, quae minus vehementes nominandae sunt, per tres, vel quatuor, vel quinque dies feminae perpetiuntur. Saepe sponte sistuntur, saepius vero repetuntur haemorrhagiae uterinae.

Distinguuntur autem metrorrhagiae in externas (metrorrhagiae apertae) et internas (m. occultae). Externae sunt, ubi sanguis extra profluit; internae, quae saepe observantur, hoc modo oriuntur, ut sanguis in cavo uteri aut in vaginae spatio effundatur, ibique coaguletur. Cujus symptomata haec fere sunt: facies et genae pallidae fiunt, debilitas virium et spasmi adsunt, dolores in regione epigastrica atque hypogastica nec non in pelvi ipsa sentiuntur, impetus vehementissimus et continuus ad urinam mittendam atque ad alvum solvendam; dolor etiam in vesica urinaria vexat aegrotam; oscitatio, susurrus aurium, angor, oppresio pectoris, spirandi difficultas, vomitus, asphyxia; pulsus minui

coepit et mox tactu percipi nequit; lassitudo maxima, convulsiones et mors observantur.

Sunt, qui metrorrhagias eas dicant externas, quae a causa externa, et internas, quae ab interna proficiscantur. (Vogel's Handbuch. V. Cap. I, §. 1.) Saepius sanguis in cavo uteri tam accumulatur, ut quatuor vel quinque adeo digitos supra os pubis tumescentia mollis animadvertatur, quae quum brevi oriatur, nihil aliud nisi uterus sanguine repletus esse potest. Tribus aut quatuor diebus post irritatio hac massa in cavo uteri accumulata fit, contractiones hujus organi exoriantur necesse est, qua re sanguis foras erumpit. Praeterea metrorrhagiae esse possunt aut arteriosae, aut venosae; aut sanguis purus, aut impurus muco lymphaque commixtus profluit.

Corpore feminarum ex profluviis uteri mortuarum aperto, omnia organa pallida ac laxa invenimus, imprimis lienem et reliqua organa glandulosa sanguine carentia.

Systema vasorum inane, cor atrophicum, vel potius deminutum est; arteriae multo minore lumine utuntur quam debent. Utero autem ipsi nonnulla vasa sunt, imprimis in regione placentari sita, quae quam maxime sanguine impleta sunt. Uteri parietes vero plus minusve extensi, relaxati in quibusdam locis patent; immo etiam rupturae et vulnera reperiuntur, et quum textura uteri laesa celerrime sanetur, saepe etiam cicatrices uteri visui apparent, quamquam vulnus brevi ante obitum effectum erat.

Aetiologia.

Natura uterus ita constitutus atque conformatus videtur, ut florescentis tempore vitae modo typico sanguinis mas-

sam quandam excernat. Jam supra commemoravimus, hanc uteri functionem vulgo menses vel menstruationem nominari, tempore ovi maturescentis physiologicam apparere, itaque feminae maturitatem facultatemque concipiendi significare, sed interdum etiam morbosam fieri.

Quum enim menstruatio diutius quam tres aut quatuor dies permanet, tum menstruatio dicitur nimis diuturna; quum plus, quam sex aut octo unciae sanguinis effluunt, tum est menstruatio nimis copiosa; frequens dicitur, quum saepius repetitur, quam vicenis octonis diebus; et dolorifica nominatur, si doloribus afficit mulierem. Quae omnes haemorrhagiae quamquam parvi momenti sunt, tamen ex iis, si negliguntur, morbi secundarii nascuntur, veluti debilitas atque sensibilitas uteri, nec non induratio, qua fit, ut femina sterilitate afficiatur aut anaemia, ex qua hydrops provenit.

At menstruatio non solum ex collo atque orificio uteri — sicuti adhuc vulgo creditum est — sed etiam ex ejus parte posteriore interna provenit, ut Scanzoni demonstrasse videtur. Brevi enim, Scanzoni dicit, antequam menses intrant, congestionem in uterum progredi atque omnia fere symptomata menstruationis adesse animadvertimus, ut dolorem capitis, tensionem in membris, cetera, et quum inter omnes constet, menstruationis tempore congestionem ex ovariis atque tubis originem ducere et in totum uterum progredi — sicuti hoc in omnibus metrorrhagiis ex congestione ortis observare potes — quid est, cur sanguinem provenire putemus ex collo uteri solo?

Menstrua quidem in nostris regionibus septemtrionalibus vulgo in puellis quatuordecim annos natis exordium facere,

inter graviditatem cessare et in mulieribus quadraginta quinque aut quinquaginta annos natis finem capere quis est qui nesciat? Nonnulli vero viri contendunt, menses in nonnullis feminis numquam nisi inter graviditatem intrare solere. (Siebold, diss. inaug. Würzb. 1798. — Drewees Krankheiten des Weibes, übersetzt von Moser. Berlin 1837.)

Primis graviditatis mensibus menstruationem saepissime observari notum est.

Omnino autem menses normales nullo modo periculosae exsistunt, nec unquam abortum producunt. Quum vero illi morbosi fiunt — de qua re jam supra verba fecimus, — et si primo graviditatis tempore animadvertuntur, tum sane abortui favent.

Nemini jam ignotum est, isto graviditatis tempore, quo menstruatio intrare debeat, majorem hyperaemiam in uteri vasis adesse. Haec congestio praecipue apud feminas plethoricas esse solet, quarum est, tempore menstruali metrorrhagiis laborare. Sanguis hic ex vasibus provenit, quae ad membranam deciduam ducunt, ovum nutriunt, et propter tenuitatem et debilitatem facillime rumpuntur. Postea vero, quum placenta formatur, haec vasa atrophica fiunt, propterea quod membrana decidua ipsa ubique, nisi loco placentari atrophica fiunt, qua ex causa posteriore graviditatis tempore ex placentae tantum vasibus sanguifluxus oritur.

Primis denique graviditatis mensibus metrorrhagiae reperiuntur, quae ex dyscrasia et aliis morbis originem ducunt, sicuti ex diathesi scorbutica, ex hydrope ovarii, ex morbo maculoso erlhoffii, ex febribus putridis et exanthematibus, ex morbo haemorrhoidali, ex oophoritide (Schoenlein) tum etiam in feminis cachecticis iisque multiparis,

praecipue autem in illis, quae semel aut saepius abortum fecerunt, quae igitur ex impressione nervosa ad abortum inclinare dicuntur.

Nec raro fit, ut metrorrhagiae proveniant ex abortu, qui oritur ex vitiis organicis; in his numeranda sunt: induratio aut hypertrophia uteri, aut atrophia, polypi (Meyer de polypis. Cum tabula aenea. Berol. 1821; Hufelands Journal Tom. IX, St. 1.) Scirrhus, Carcinoma uteri, tumores ovarii, tumores fibroidei, sarcomata medullari, cet.

In prima graviditatis dimidia parte, de qua hic loquimur, sanguis plerumque in externum emanat, propterea, quod circum ovi superficiem effunditur, cujus (ovi) conjunctio cum superficie uteri solvitur, atque foetum emori necesse est; sanguis tum, ut dictum, aut ex utero effluit, aut in utero retinetur, in quo rarissime in molam vertitur, Saepius autem uterus sanguine hoc modo accumulato brevi extenditur, qua re quum mox contractiones creentur atque vasa inter membranam deciduam et inter uterum exsistentia dirumpantur, sanguifluxus erumpit et difficillime tantum sisti potest, quod decidua totam uteri superficiem internam obtegi notum est. Jam formata placenta vasa quoque contractionibus uteri rumpuntur, sed profluvium facilius sisti potest, quod ut ita dicam, loco circumscripto provenit.

Congestiones illae plerumque observantur temporibus menstruationis ingredientis, quare fit, ut hoc tempore plurimi abortus, ergo etiam plurimae metrorrhagiae proficiscantur. —

Jam vero sine ulla congestione fieri potest, ut abortus emittatur. Ab fine enim secundi usque ad initium quarti mensis, uteri fundus propter pondus et alia impedimenta

saepius in osse sacro ejusque orificium in symphysi ossium pubis nititur. Qui uteri status retroversio nominatur. Haec gomphosis nisi tempestive tollitur, uterus eodem modo quo foetus crescit, expandi nequit, quare aut expellitur contractionibus ovum, aut ruptura uteri, simul ergo metrorrhagia vehementissima, exsistere debet. Istam retroversionem uteri maxime observare solemus in pelvi rachitica, osteomalacica; tum quoque si exostoses in pelvi sunt, tum si utero rectum intestinum, peritonaeo adhaerente, coalescit, praecipue tamen, quum pelvis nimis magna videtur et uteri parietes, nonnullis partubus factis, relaxati sunt atque facile comprimi possunt. (Meissner, Frauenkrankheiten pag. 662.)

Impedimenta porro quominus uterus expandi possit, ita ut aut ovum solvatur aut ruptura creetur, haec quoque valent:

a) Uteri nimis parva facultas extendendi, quae praesertim observata est, quum uterus peritonaeo coaluit, aut quum fibroidae parenchymati increverunt, quum infiltrationes carcinomatosae, fibrae musculares uterinae tamquam callosae factae sunt, (quod saepius in primiparis provectioris aetatis occidit), aut quum metritis chronica jamdudum permansit, aut quum graviditas interstitialis adfuit, aut quum uteri parietes nimis tenues sunt, cet.

b) aut facultate extendendi uterus minime caret, sed ovum nimis magnum est, aut nimis celeriter crescit, quod saepius fit in graviditate gemina, aut exostosis, lordosis, scoliosis, Kyphosis, cet., extensionem uteri cohibent; quum vero nihilominus ovum crescendo augetur, uteri parietibus hoc modo irritatis, contractiones parantur, quae plerumque

posterioribus graviditatis mensibus nascuntur, et partum immaturum vel etiam praematurum provocant. (Scanzoni.)

At metrorrhagiae posteriore graviditatis tempore ortae, ex validioribus vasis proveniunt, et propterea rariores observantur; nec paulum obturamenta ovi amniique liquor ad profluvium cohibendum faciunt. Tamen multae sunt causae, ex quibus sanguifluxus uterinus nasci potest. Imprimis enim tota placenta normalis solvi potest propter nimis brevem funiculum umbilicalem; aut placentae pars tantum solvitur, quod saepius fit; aut sanguis ex uteri pariete a placenta non obtecta profluit, quae res rarissima eaque rarior quam menstruatio in ultimis graviditatis mensibus. — Casus autem, qui partum immaturum aut praematurum procreent, infra exponam.

Maximi autem momenti in metrorrhagia est placenta praevia. Cur, quomodo, quando placenta praevia formetur adhuc ignotum est, et nihil nisi hypotheses exsistunt; nec opus est has omnes enarrare. Ea quam celeberrimus Velpeau proposuit, sapientissima mihi videtur.

Das Eichen stösst beim Eintritt in die Höhle des Uterus gegen die Membrana decidua und kann nicht weiter vorrücken, ohne diese von der innern Fläche der Gebärmutter zu trennen. Hängt nun die Membrana decidua überall gleich fest mit dem Uterus zusammen so folgt das Eichen seiner ersten Richtung und gleitet am Grunde des Uterus in die Membrana decidua gehüllt, welche gleichsam die Fortsetzung des Kanales einer der Trompeten bildet, bis an die gegenüberliegende Wand des Uterus. Bleibt das Eichen gleich neben dem Ausgange der Trompete liegen, so befestigt sich die Placenta in einem Winkel der Gebärmutter,

hängt aber die Membr. decid. nach oben mit dem Uterus fester zusammen als nach unten, so kann auch das Eichen sich natürlich leichter hinabsenken und sich in der Gegend des Gebärmutterhalses befestigen. (Velpeau, Die Embryologie. Deutsch von Schwabe.)

Satis constat placentam praeviam in mulieribus vetulis pariter atque in junioribus, neque minus in primiparis, quam in multiparis inveniri. Quod vero ad sedem attinet, placenta praevia describitur centralis, excentrica, et lateralis.

Multa mala ex placenta praevia nasci possunt, Imprimis — omissis aliis — metrorrhagiae. Inter graviditatem enim amplificato fundo uteri sensim sensimque etiam collum uteri ejusque partem infimam omnino amplificari necesse est. Cui quum placenta insideat, nec pariter ac collum uteri extendatur, fieri non potest, quin placenta nonnullis locis rumpatur et ex vasibus ita diruptis plus minusve sanguinis ejiciatur. — Facillime intelligitur, sanguifluxum uterinum semper majorem esse debere in placenta praevia centrali, quae centro suo orificium obtegit, quam im excentrica, vel etiam laterali.

Placenta ipsa tamen Buschio auctore tardissime solvitur, quum vasa non pariter ac tempore partus violentur, sed modo paullatim divellantur, ita ut aut nullum vas apertum fiat, aut si apertum est, tamen brevi uteri contractionibus vel potius sanguinis coagulatione lumina concluduntur.

Tempus incertissimum est, quo profluvia ex placenta praevia originem ducentia in conspectum veniunt; multo saepissime tamen ultimis graviditatis mensibus observantur;

multo rariores sub finem mensis quarti apparent, quo tempore placenta formari coepit.

Maximi momenti in profluviis placentae praeviae etiam hoc est, quem situm foetus habeat. Multi enim observaverunt, objectis extremitatibus foetus sanguinem multo serius emitti, quam si clunes, praesertim autem si caput objectum sit. Quod non est mirum; nam si exempli gratia pedes praejacent, collum uteri facilius extendi potest, quam si caput abjectum est.

Quum jam quarto graviditatis mense ex placenta praevia abortus vel sanguifluxus uteri exoritur, hoc irritatione explicari debet, quae per placentam praeviam in uteri partem inferiorem exercetur. Qua irritatione contractiones uteri incitantnr et foetus extra avellatur necesse est.

Haec fere sunt metrorrhagiae, quae ex diversis uteri statibus oriri solent. Primordio graviditatis embryon tenerum fasciis tenuibus cum matre conjunctum videmus, ita ut ad eas conterendas non tam magna vi utendum sit, quam posterioribus mensibus. Qua propter multo plures abortus nasci videntur, quam partus immaturi vel praematuri. — Tamen causae sunt, ex quibus, ceteris paribus, abortus aeque ac partus praematurus — ergo etiam profluvium uterinum — oriri potest:

a) Metrorrhagiarum causae mechanicae. Laesiones et injuriae externae, vulnera, contusiones, ictus, quibus aut placenta aut uterus laeditur, immo, matre ex altitudine praecipitata, foetus ad lucem expulsus tam violenter commotus apparuit, ut ejus crura fracta inventa sint, quamquam mater ipsa sine injuria decessit. In eodem genere abortus atque metrorrhagiae numerandae sunt, quae ex tussi aut

ex vomitu abdomine exsistunt. Ad vocem „mechanicam“ adjiciamus verba liceat: in feminis thorace (Schnürleibchen) utentibus venae comprimuntur, tum etiam, si vitia cordis organica, exempli gratia stenoses ostii venosi in ventriculo cordis dextro exsistit, sanguis venae cavae obnititur usque ad ramulos tenuissimos ventriculi, lienis, hepatis, intestini, cetr., ita ut tamquam mechanice plethora oriatur, nec nobis ignotum est, feminas plethoricas valde ad metrorrhagias inclinare.

b) Causae dynamicae: ante omnes haece. Inflammatio partium utero proximarum, veluti oophoritis, morbus haemorrhoidalis, arthritis, abusus potuum spirituosorum atque incitantium immodicus, coitus nimis frequens, qua re congestio ad uterum apparet ita ut praesertim sub initio graviditatis vasa tenuissima membranae deciduae discindantur oporteat. Maximi momenti quoque est, si temperatura brevi tempore femina utitur diversa. Nec paullum valent animi motus, ut gaudium, ira, metus, horror, maeror, ad accelerandum aut ad sistendum sanguinis circuitum. —

Constat, epistaxin oriri, si homines in altissimos montes laboriose ascendant; analogon epistaxeos est, si mulieres in altis regionibus habitantes saepius metrorrhagiis inter graviditatem laborant, quam rem aeris tenuitas afficere videtur.

c) Dispositionem hereditariam in hominibus haemophilos reperimus. Sane plerumque viri sed tamen etiam feminae existunt, quae hac haemophilia laborent. Insignes sunt corpore procero et gracili; uterus debilis videtur, minimaque laesione profluvium incedit, quod nullo remedio sisti potest, et saepissime morte afficitur femina. In compluri-

bus familiis metrorrhagiarum dispositio crebrius invenitur, quam in aliis; saepius hae familiae in urbibus videntur esse. (Riecken, neue Untersuchungen über die erbliche Neigung zu Blutungen. Frankfurt, 1829.)

d) Dispositio acquisita. Imprimis procliviiatem invenimus in feminis, quam praegressa reliquit metrorrhagia, indeque natam inclinationem ad repetendam eandem. Omnibus autem notum est, mulieres gravidas tunc temporis, quo antea abortum fecerint, facillime metrorrhagia laborare solere. — Huc quoque pertinet laxitas et debilitas uteri, quae ex totius corporis debilitate oritur.

Omnino vero abortus provocari potest, etiam si mulier infantem nimis diu uberibus suis alit; nam hac irritatione nervi glandulae mammariae nervos uterinos, inter quos consensus valet, incitant ad contractiones uteri faciendas. Eodem modo fieri potest, ut nervi vesicales calcariis urinariis titillati, hyperaemiam, extensionem vasornm — metrorrhagiam moveant. —

Tum quoque ulcera perforantia, aneurysmata, varices, vitia organica metrorrhagiae causae oriuntur: Polypi uteri, carcinomata, scirrhus cet.; nec non remedia: secale cornutum, sabina, crocus orientalis, narcotica, remedia drastica; mors foetus, qui foras extruditur, semper metrorrhagiam provocat; mortem foetus autem omnes fere causae adhuc enarratae efficere queunt, in quibus denique numerandae: tuberculosis, fames, sitis nimia, anaemia chronica, vita inquieta, fluor albus, cetr.

Ad originem nobis spectantibus obvenit: Metrorrhagia idiopathica-numquam ex alliis morbis nisi ex utero ipso originem et causam ducens; metrorrhagia symptomatica

nominatur, si organo alio aegrotante uterus ita afficitur, ut sanguis ex ejus vasis labatur, sicuti fit in ovarii inflammatione;

critica dicitur, si alii morbi, ut hydrops, arthritis, metrorrhagia tolluntur.

vicaria: quae in vicem aliarum haemorrhagiarum succedere solet.

Ex momentis internis causalibus observantur metrorrhagiae activae, passivae, et cachecticae.

a) Activa significatur metrorrhagia, si sanguis nimis activo impetu atque tali vi ad uterum profluit, ut vasa ipsa extensa dirumpantur. Quibus metrorrhagiis praecipue mulieres plethoricae atque vigore juventutis florentes laborant, jam si confervescunt etc.

Sicuti in aliis metrorrhagiis, ita etiam in hac sanguis aut sine ullo morbi signo subito proruit, aut symptomata habet haecce: Facies rubra, susurrus aurium, immo etiam surditas, vertigo, caput obtusum, frigus et mox calor aegrotam molestiis afficiunt, pulsus sub initio plenus vel etiam dicrotus, paullatim quidem celerior redditur; cutis tumida, sicca, et calidissima, urina ardens, sitis quam maxima. Sanguine autem emisso, symptomata evanescunt, et sanguis per intervalla emittitur. Talis est metrorrhagia sthenica.

In mulieribus autem debilibus atque universali imbecillitate praeditis activas observamus metrorrhagias, quas spasticas dicunt. Quae originem ex adaucta nervorum in vasa capillaria uteri vi ducunt; symptomata fere eadem, sed admodum variabilia, pulsus non plenus ac fortis, sed parvus, inaequalis-pulsus spasticus dictus. Quodvis fere irritamentum, obstructio alvi, vermes, motus psychici me-

trorrhagiae spasticae possunt esse causae. Aegrota mox vexatur dolore capitis, mox cardialgia, inquietudine et angore, convulsionibus, febri, congestionibus, vertigine, molestiis in regione uterina, cetr.

b) Passivae vel atonicae hae dicuntur metrorrhagiae, quae proveniunt ex atonia uteri ejusque parietibus relaxatis, et, ut ita dicam, passivis. Quapropter mulieres multiparae maxime ad hujuscemodi metrorrhagias inclinant. Causae ut contusiones, pessaria male applicata, injuriae omnino externae vasa debilitantes dicuntur. Symptomata eadem quae febris intermittentis sunt: Aegrota primum frigore afficitur, ejusque facies et cutis pallida et frigida redditur, simulque manus et pedes. Pulsus spasticus percipitur inaequalis, frequens; in abdomine atque in regione uterina aegrota calorem sentit, et si accuratius exquires, tumorem et turgescentiam ibi reperies. Sanguis vero plerumque maxima vi et copia subito fertur, nec facile sisti potest. Omnes fere corporis partes collabuntur, delirium, tremor spasticus, singultus accedunt et augentur, convulsiones, syncope enascuntur signa sanguinis ex corpore expulsi. Si sanguifluxus feliciter cohibetur, tamen permagna virium debilitas et imbecillitas manet.

c) Cachecticae observantur sub finem morborum acutorum et chronicorum praecipue characterem putridum ferentium aut in dissolutionem nitentium, exempli gratia in Typho, in morbo maculoso Werlhoffi, in Scorbuto; nec minus omnem metrorrhagiam activam sequi solent.

Sanguis enim dissolutus vim quamdam paralyticam exercet in nervos vasomotorios, quapropter innervatio de-

minuitur, et hyperaemia passiva nascitur; aut, quod saepissime fit, sanguis ipse per vasa penetrat.

Diagnosis.

Secundo aut tertio graviditatis mense difficillime distinguitur menstruatio a metrorrhagia; tempore menstruationis quidem mulier vigore floret et crescit, mammae ejus turgescunt et alia exsistunt pubertatis signa; in metrorrhagia semper animadvertimus collapsum virium, maciem, visum et faciem pallidam, morbosam (Copland). Sed etiam in menstruatione profluvium tam copiosum interdum est, (sicuti in mensibus nimis profusis) ut diagnosis certa nullo alio modo fieri possit, quam ut exspectemus, num haemorrhagia periodice revertatur. — Sanguini menstruali inest aqua, elementa solida, albuminum, salia diversa, haematoglobulinum; praecipue autem fibrinum deficit, ergo coagulari sanguis nequit, quod maximi momenti est in distinguendo sanguine.

Si vero hoc tempore metrorrhagiae nulla est causa manifesta, aut si ipsa celatur, nec ullum aliud graviditatis signum cognitum est, semper caute abortum adesse aut adfuisse putandum est. Saepe primis graviditatis mensibus metrorrhagiae observantur carentes typo mensium. Hoc enim tempore nondum placenta formata est, sed membrana decidua tenuissima totam uteri superficiem internam vestit, ejusque vasa ab utero ad deciduam porrecta tenerrima sunt, et eo facilius dirumpi possunt, praesertim tempore menstruali, quo major sanguinis copia ad uterum fertur. Symptomata autem abortum adnuntiantia haec fere sunt: Frigus extremitatum, horripilationes frequentes, vertigo, faciei pallor, inquietas, dolores capitis, vomituritiones et vomitus

ipse, dolores lumborum per intervalla majore cum vehementia redeuntes, nausea, gravitas quaedam totius corporis. In abdomine inferiore aegrota gelu atque onere vexatur et simulac lateri incumbit, quasi molem quamdam in alterum latus delabi sentit; vagina et portio uteri vaginalis, immo etiam mammae videntur frigidae et relaxatae. Jam autem doloribus ad partum crescentibus primum mucosus, serosus humor profluit, tum sanguis sensim sensimque proficiscitur. Sanguine ipso, ut irritamento, uteri contractio creatur, atque ovum paullatim ab eo divellitur, plerumque velamentis integris foetus vivus aut mortuus in lucem traditur. Quum foetus antea exstinctus est, per vaginam materia mucosa et foetida effluit. Investigatione interna orificium internum patefactum invenimus foetumque tactu percipimus. Foetu doloribus ex utero expulso, haemorrhagia sponte sisti solet. Sin abortui sanguinem extra mittere non licet is in utero ita accumulari potest, ut rumpatur uterus. Quod ab omni alia haemorrhagia subita distinguitur; aegrota ipsa enim in abdomine aliquid ruptum esse contendit et affirmat sensum rupturae. Mox febris acerrima, quae in asthenicam mutatur, in conspectum venit et alia jam supra dicta symptomata mortis appropinquantis.

Posterioribus mensibus graviditatis raro haemorrhagiae reperiuntur, nisi ex placenta praevia, quae quarto mense difficillime, vel nullo modo cognosci potest, quod singula symptomata, nimis mutabilia et incerta sunt. Ultimis autem graviditatis mensibus uteri portionem vaginalem mollem, laxatam tactu sentimus, orificium magis patens. Digito immisso in placenta praevia centrali corpus spongiosum, molle, inaequale, quod si deprimere conaris, magnam san-

guinis copiam emittit, in medio uteri orificio, 'aut sicut in placenta praevia laterali ex obliquo sedere percipimus. Telas quoque filiformes-quae sunt placentae praeviae vasa, observabis, quarum sensus ejusmodi est, ut ipsum si semel sensisti, numquam cum alio quovis permutare possis.

Haemorrhagiae uteri, quae cum sanguifluxu ex placenta praevia orto permutari possint, hae fere sunt;

Haemorrhagia menstrualis, de qua in universum supra disserui, non nisi primis graviditatis mensibus apparet, nec coagulatur.

Haemorrhagia quae abortum sequitur, plerumque non nisi vi vehementi externa aut ex impressione nervosa nascitur, aegrota doloribus afficitur; sanguis autem ex placenta praevia proveniens, semper fere sine ulla causa, nec interna nec externa, apparet.

Haemorrhagia ex carcinomate uteri orta certo investigatione manuali cognoscitur, et quum carcinoma cum partibus foetus confundi possit, speculo vaginae caute utendum est.

Polypi quoque placentam praeviam simulant et metrorrhagiam efficiunt, sed irritatione tantum facta; quo magis autem crescunt, eo magis uterus ipse decrescit, tantum abest, ut accrescat; tum menstruatio quoque permanet et quum polypus sine ullo dolore comprimi possit, uterus gravidus facillimam quamque laesionem sentit.

Haemorrhoides et haemorrhagiae ex aliis morbis profectae non facile cum placentae praeviae profluvio confundi possunt, quum morbi, qui earum causas tulerunt, jam antea exstiterint, nec ignoti esse potuerint.

Fibrinum coagulatum amoveri potest, nec mater doloribus cruciatur.

Haemorrhagiae ex vasibus varicosis provenientes maxime ex causis mechanicis oriuntur, et digito immisso accuratiore investigatione sanguinem ex vasorum luminibus apertis proruentem sentimus, nec non orificium uteri apertum est.

Eodem modo profluvium ex vaginae parietibus distinguitur.

Haemorrhagiae molarum sub initio quidem graviditatis quam difficillima diagnosis, quod plane simulat graviditatem normalem; postea autem abdomen brevissimo tempore crassum fit et dolorificum; motus foetales desunt; mater macie conficitur atque oedemate pedum et labiorum; haemorrhagiae typicae apparent. Nec etiam haec graviditas diutius quam duodecim aut sedecim hebdomades permanet. Si feminae hac mola gravidae quiete atque in tranquillitate vivunt, fieri potest, ut illa per sex aut per octo menses permaneat. Quum mola expellitur magna semper videtur haemorrhagia.

Prognosis.

Prognosis metrorrhagiarum incertissima est, in qua vires aegrotae, tempus ac reditus et sanguinis amissi copia, denique earum causae respiciendae sunt. Quod ad gravidarum menstruationem attinet, nunquam ea est, ut vitae periculum immineat; quum vero nimis profusa aut diuturna exsistit, tamen morbi plerumque eam sequuntur sanitatem debilitantes atque caducam reddentes. Imprimis in utero habitualis congestio sanguinis efficitur, quae hypertrophiam et indurationem substantiae uterinae provocat, nec minus etiam cachexiam sanguinis, chlorosin, et ad hydropem proclivitatem, irritationem nervorum reproductivorum, qua ex re oriri solet hysterismus et alii morbi psychici.

Haemorrhagiae uteri abortum comitantes periculosae tum fiunt, quum ovum per longum tempus in ipso retinetur ut, sanguifluxus sisti non possit. Placenta formata metrorrhagiae in partu immaturo aut praematuro saepe periculosissimae sunt; sin autem foetus ante partum mortuus est, prognosis melior est, quam si vi vehementi aut commotione violenta rumpitur; quo profluvio hic foetus semper morte afficitur et quamquam mater plerumque servatur, tamen sequelae, ut cachexiae, hydrops, cetr., sequuntur.

Metrorrhagiae internae semper fere externis perniciosiores, quum sanguis in cavo uteri accumuletur et tam valde augeri possit, ut uterus ipse — id quod jam supra commemoravimus, rumpatur; quam rem saepius observabis in atresia uteri, in retroversione, immo etiam in graviditate interstitiali, in qua quum sanguis in cavum peritonaei proruit, facile mortem vitae infert; aut metritidem provocat substantialem, ibique adeo gangraena oritur; salus vero non nisi solutis partibus gangraenosis et ne tum quidem exspectanda est; aut etiam peritonaeitis, aut enteritis et lymphangitis sequitur, quorum morborum prognosin valde dubiam esse constat. Si simul cum uteri ruptura vesica urinaria aut intestinum rectum laesum est, prognosis mala ponitur. Sin autem collum tantum aut orificium uteri dirumpitur, facile ac feliciter brevi sanatur. Sunt etiam, qui enarrent, foetu per uterum ruptum in abdomen ejecto, matrem annos complures vixisse, sed vitam degisse quam miserrimam.

Metrorrhagiae ex placenta praevia exortae prognosis eo infaustior fit, quo major quantitas profluvii, quo diutius illud permanet, et quo debilior femina. Sanguis saepe tanta vi et vehementia effluit, ut mors paucis horis sequatur;

jam elucet, metrorrhagiam ex placenta praevia centrali provenientem, ergo etiam prognosin infaustiorem esse, quam ex placenta praevia laterali nascentem, quod si illa solvitur plura vasa laeduntur, quam in hacce. Ex quindecim matribus artis auxilio omnino duodecim servantur, septem tantum earum infantes.

Quod ad vires pertinet, haud difficile est intellectu, feminam sanam, robustam aequali metrorrhagia non eodem modo affici, quam debilem, tenerem, cachecticam. Omnino autem fere omnes haemorrhagiae copiosiores feminas cachecticas et anaemicas morte afficere solent, immo stillicidium ipsum sequelae sequuntur. Nec minus haemorrhagiae passivae summum periculum afferunt propter debilitatem corporis universam. Sed et hic multum valet, quanta sit sanguinis omissi copia et quam diu proruerit. Plerumque metrorrhagias activas in passivas et cachecticas transire supra jam diximus. — Sanguifluxus habituales congestionem ad uterum creant, et tum aut indurationem aut relaxationem, aut inflammationem chronicam aut texturae uterinae organicae mutationem afferunt; qui omnes morbi secundarii feminam sterilem reddere queunt.

Prognosis metrorrhagiarum ex vitiis organicis exortarum eadem, quae vitiorum istorum est. — Perniciosissimae inter omnes exsistunt metrorrhagiae ex dispositione hereditaria; sanguinem enim feminarum haemophilarum non coagulari quis ignorat? Quam ob rem quum ligatura uteris, nullus formatur thrombus; quum obturasti nulla coagulatio, et obturamento allato, sanguis eo fortior proruet; et uno illo remedio ad crustam efficiendam, — ferro candente quis

facile utetur in cavo uteri? Immo poterisne eo in omni casu uti?

Mala etiam omnino prognosis metrorrhagiarum ponitur in dispositione acquisita, imprimis ubi impressio nervosa et proclivitas ad abortum ex ea orta nobis obvia fit, in quo casu medicus recta medendi ratione multum tamen proderit.

Causae metrorrhagiarum occasionales tam variae sunt, ut etiam prognosis fere in unoquoque casu varia ponenda sit; mox laesio mechanica, ictus, cet., pauca tantum vasa rumpit uterina et placentaria ita, ut nec mater nec foetus turbati videantur; mox laesione mechanica aut foetus aut mater, aut utrique morte afficiantur.

Cura.

Indicatio morbi, cujus est, sanguifluxum sistere, imprimis jubet, aegrotam in unaquaque metrorrhagia et animi et corporis quiete, situ horizontali, erecta regione sacrali cruribus altero super alterum impositis uti, omnes cibos potusque fervefacientes, omniaque impedimenta evitare debere, quominus sanguinis circuitus turbari possit; obstructionem alvi removendam, vestesque nimis arctas solvendas esse. Tum etiam aegrota frigidam magis, quam calidam diaetam adhibeto, lectum calefacientem evitato, temperie frigida fruitor. Curam quidem prophylacticam raro tantum adhibere possumus; ubi menses profusi aut diuturni aut dolorifici exstiterunt, remediis illis utendum est, quae eos coërceant. In feminis plethoricis, robustis menstruatione nimia aut metrorrhagiis laborantibus tempestive prophylactica venae sectio facienda, immo per intervalla parva est repetenda. Prae-

sertim vero illae mulieres, quae semel aut saepius abortum fecerunt, quum iterum sunt gravidae, hic adhuc datis praeceptis diligentissime et religiosissime uti debent, iisque eo potissimum tempore, quo menses videri solent, quum abortus, ut jam supra dictum, facillime sub solitum menstruationis tempus appareat. Mulieres quidem plethoricae inter graviditatem evitent animi corporisque motus, quamquam modica ambulatio omnino commendanda est. Quod ad remedia attinet, in debilitatem uteri aut totius corporis remediis martialibus aut amaris utamur, in sensibilitatem adauctam potissimum antispasticis, roborantibus et atonicis agendum est. — Omnino autem non nisi certa diagnosi remedia sunt adhibenda. Quare si metrorrhagia ex vitiis organicis exoritur, secundum praecepta chirurgiae in illa bellum gerendum est; si morbi alii aut dyscrasiae causae metrorrhagiarum exstant, haece tractandae sunt; Si ex atonia uteri pendent, acida et adstringentia et interna et externa — de quibus infra disseram — auxilium ferant. Si hyperaemia activa aut vis externa abortus causa fuit, Venae sectio instiduenda. Si sensibilitate adaucta, acida cum opio adhibenda. Sin autem haemorrhagia continuata partus ipse cessat, tunc arte provocandus et velamenta aperienda sunt, quo facto foetu subsequente sistitur. Haemorrhagiae ex vaginae varicibus aut aneurysmatibus vel ipsa vagina etc., stypticis externis remediis cedere solent.

At si metrorrhagia cessit, tamen libenter repetitur, propterea iterum iterumque causae respiciendae sunt atque in quovis casu perscrutari debebis manu, ne confundas metrorrhagiam ex placenta praevia exorientem: nam hic nec remediis supra commemoratis, nec situ horizentali solo,

nec quiete animi corporisque, nec tampone in vaginam immisso mulieri semper salutem praebebis; hic imprudentissime agunt, qui venae sectionem suadent. Nam si tampone frustra usus es, una tibi tantum ad servandam matrem et infantem salus restat in partu vi provocato (Accouchement forcé), quem celeberrimi medici commendant.

At restat, ut metrorrhagiarum ex momentis internis causalibus exortarum rationem habeamus. Primum igitur:

Curam metrorrhagiarum activarum tractemus. In sthenicis quidem imprimis venae sectio instituenda, quod ea conjuncta est cum congestione atque plethora. Quo gravior est casus, quo robustior aegrota, eo citius mittendus sanguis. Remedia autem interna porrigenda sunt: Kali nitricum, acida vegetabilia, acidum sulphuricum dilutum, acidum phosphoric., potus omnino refrigerans; tempore recentiore multi manus in aquam calidam mergi jussere. Jam Richter, Lisfranc et Copland vetant, ne fomenta frigida in abdomine ponantur, quod metritidis, peritonaeitidis causas praebere possint, et non nisi in casibus periculosissimis illa adhibenda esse contendunt. Multum etiam aqua nivata valet. Nonnulli ligaturam extremitatum inferiorum commendant, quin etiam aortae ipsius, si periculum permagnum.

In metrorrhagiam activam spasticam producimus: Opium, castoreum, valerianam moschum, asam foetidam, ammonium; in colicam gastricam simul exsistentem clysma cum Tinct. opii crocat. eligimus. Non vero negligendus est morbus lateralis, qui plerumque est gastricus biliosus, quare mox aliis remediis ad sistendum sanguifluxum adhibitis, emeticum porrigendum est, quum ipsum non modo abortum non

provocet, sed sanguinem inter vomendum inhibere soleat. (Vogel. Vom Blutfluss der Gebärmutter. Cap. VII.)

Remediis emeticis adhibitis jam concrementa, quibus profluvia sustentata sunt, ex utero expulsa sunt. Hufelands Journal VI, 3.)

Si metrorrhagia activa, quamquam multa remedia adhibita sunt, tamen permanet, — in passivam mutatur. Passiva autem omnino majoris est momenti, quam activa, nec ullum remedium certam salutem affert, quod jam inde colligi potest, quod eorum tantum numerum habemus, quae omnia idem efficere debeant, ut aut vires sustentent, aut adstringendo efficiant ut vasa uteri contrahantur. Usitatissimum quidem remedium internum est: Secale cornutum, pro dosi gr. V—XX. bihorio vel omni hora datur; vim exercet certissimam in uterum contrahendum, si modo qualitate bona paratur. Tum maxime commendatur: Tinct. cinnamom. pro dosi gtt. XXX—LX., cum vino potissimum conjuncta; absit tamen omnis congestio ad uterum, nec non systematis vasorum irritatio. — Laudatur jam ab antiquissimis temporibus alumen; porriguntur pro dosi gr. V—X. cum saccharo. Absint autem spasmi et obctructio alvi, et alii morbi ejus usum prohibentes. Nec despicienda sunt remedia ut: Sabina, ferruginosa, creosotum, phosphorus, quamquam nostro tempore non laudantur. Saepius adhuc in usum vocantur remedia adstringentia: Cortex salicis, ratanhiae, tinct. catechu, tanninum, Gummi Kino, China, ferrum sulf. etc. Ex remediis externis maximam vim exercent; aqua frigida ex altitudine quadam in abdomen praecipitata: tum fomentationes Schmuckerianae, nec non frigida lavacra manuum et pedum, cetr.

Ex remediis localibus adhibentur in atonia injectiones frigidae in vaginam, topidae autem in spasticis metrorrhagiis. Vetustissimum stypticum habetur: tampon ex linteo et spongia paratum, acetoque madefactum. Ne tamen sanguis periculum metrorrhagiae internae praebeat, extrahatur per semihoras Richter suadet, Canstatt vero et alii illud per viginti circiter horas in vagina manere jubet. Pressionem externam in regione uteri multi commendant. Ligaturae extremitatum rejiciendae sunt, nec non Galvanismi usus. — Transfusio sanguinis ultimum est remedium.

Metrorrhagiae denique cachecticae felicissime acidis atque injectionibus frigidis sistuntur; tum causae ut scorbutus, febres putridae, cetr. curandae sunt.

VITA.

Natus sum ego Joannes Rohowsky, fidei addictus catholicae, die VIII mensis Decembris anni h. s. XXVII in vico Hochkretscham, in Silesia superiore sito, patre Josepho, matre Catharina e gente Skalnik, quos ut Deus Optimus Maximus diu incolumes mihi servet, quotidie peto precorque.

Primis literarum elementis imbutus, Gymnasium adii Leobschütiense, sub auspiciis Dr. Kruhl tum temporis florens. Testimonio maturitatis instructus autcumno anni h. s. XLVIII Vratislaviam in Almam Viadrinam me contuli, ibique ab Ill. Kummer, t. t. fascias Academiae tenente, in civium Academicorum numerum receptus apud Ill. Baltzer, t. t. theologorum catholicorum Ordinis Decanum nomen professus sum, atque per semestre theologiae catholicae studiis incubui.

Mutato consilio tempore Paschali ann. h. s. XLIX apud Ill. Goeppert t. t. Gratiosi Medicorum Ordinis Decanum maxime spectabilem nomen professus sum, ibique per quinque semestria, aliis omissis, hisce interfui scholis:

Exp. Grosser: De osteologia et syndesmologia; de microscopii usu.
Ill. Braniss: De psychologia et logice.
Ill. Henschel: De encyclopaedia et hodegetice medica.
Ill. Glocker: De mineralogia.
Ill. Gravenhorst: De zoologia.

Beat. Ill. Fischer: De chemia experimentali.

Ill. Barkow: De anatome corporis humani universa, comparata, de sectione forensi, de exercitationibus anatomico-practicis.

Cel. Duflos: De chemiae elementis, de chemia pharmaceutica, organica, de venenorum charactere.

Exp. Seidel: De arte formulas medicas concinnandi.

Ill. Goeppert: De botanice universali.

Per semestre hibernum dimidium anni L et LI h. s. ob bellum instans in exercitu Regio munere medici secundarii functus sum. Rebus mutatis mense Majo anni LI universitatem almam Gryphicam petii atque a Rectore Magnifico Kosegarten in numerum civium Academicorum receptus medicinae studium coram Ill. Berndt, t. t. Decano facultatis medicae maxime spectabili professus sum atque scholis interfui hisce:

Ill. Haeser: De pathologia et therapia generali, de historia medicinae morborumque epidemicorum.

Exp. Haeckermann: De morbis cerebri, de morbis pectoris una cum exercitationibus practicis in auscultatione et percussione; de politia medica.

Ill. Tillberg: De physice.

Ill. Huenefeld: De chemia theoretico-practica anorganica.

Exp. Glubrecht: De medicina forensi.

Ill. Muenter: De botanica tam physiologica quam systematica, junctis demonstractionibus plantarum officinalium microscopicis.

Cel. Laurer: De materia medica; de arte fascias chirurgicas rite alligandi.

Exp. B. Schultze: De monstrositatibus primitivis.

Cel. Eichstedt: De morbis cutis, de exercitationibus obstetriciis in phantomate institutis.

Exp. Pohl: De tumoribus.

Exp. Bengelsdorf: De morbis, qui ex malaria nascuntur.

Ill. Schultze: De physiologia hominis cum experimentis et demonstrationibus; de anatomia pathologica; eundemque in theatro anatomico ducem secutus sum praestantissimum.

Ill. Bardeleben: De chirurgia universali, de akiurgia, de herniis, de curandis aurium morbis, de ophthalmiatrice, de ossium fracturis et luxationibus; idemque in operationibus chirurgicis in cadaveribus institutis; nec non in clinico chirurgico et ophthalmiatrico dux mihi fuit benevolentissimus.

Ill. Berndt: De pathologia et therapia speciali; de arte obstetricia, de morbis psychicis; in exercitationibus in clinico-medicis nec non obstetriciis benignissimo duce ipso usus sum.

Quibus omnibus viris, Ill., Cel, Exp., praecipue autem Viro Ill. Berndt, cujus benignitate atque favore munere medici secundarii in universitatis nosocomio per unum fere annum functus sum, gratias ago quam possum maximas, neque ulla oblivione istorum virorum de me optime meritorum, memoria unquam evanescet.

THESES.

I.

Morbi oculorum plurimi non topici, sed universales.

II.

Vasa capillaria in unoquoque morbo inflammatorio dilatata.

III.

In metrorrhagia parturientium ex placenta praevia plurimis in casibus extractio foetus remedium est optimum.

IV.

Medico abortum instituere licet.

V.

Sectio caesarea non ad chirurgiam, sed ad artem obstetriciam pertinet.

VI.

Epilepsia, e plethora vera orta, impetus apoplecticis simillimos facit.

VII.

Medicus etiam arti coquinariae studere debet.